

felicem, M. Porci, a quo rem inprobam petere nemo  
audet ! » Cum tribunos appellaret L. Scipio Asiati- 10  
cus, inter quos erat Gracchus, hoc adtestabatur  
uel inimico iudici se probari posse. Adeo summum  
quisque causae suae iudicem facit quemcumque, cum  
eligit. Vnde prouocatio appellatur. Te quidem in 11  
excelsissimo generis humani fastigio positum, summa  
eloquentia, summa eruditione praeditum, religiose  
adiri etiam a salutantibus scio, et ideo curari ut quae  
tibi dicantur tui digna sint. Verum dis lacte rustici  
multaeque gentes et mola tantum litant salsa qui  
non habent tura, nec ulli fuit uitio deos colere quoquo  
modo posset.

Meae quidem temeritati accessit hoc quoque, quod 12  
leuioris operae hos tibi dedicaui libellos. Nam nec  
ingenii sunt capaces, quod alioqui in nobis perquam  
mediocre erat, neque admittunt excessus aut orationes  
sermonesue aut casus mirabiles uel euentus uarios,  
iucunda dictu aut legentibus blanda, sterili materia :  
rerum natura, hoc est uita, narratur, et haec sordi- 13  
dissima sui parte, ut plurimarum rerum aut rusticis